
34-5-6-10 38

ASSERTIONES

THEOLOGICAE DISPVTANDAE IN TEMPLO SOCIETATIS IESV,

TEMPORE ELECTIONIS PRAEpoſiti Generalis. Reſpondente vno ex eiuſdem Societatis Theologis, & præſide Theologiæ quodam profeſſore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Romæ, in ædibus Societatis IESV anno 1558

1 *CVM DEVS ſit res omnium pulcherrima et excellentiſſima, creaturarumque principium et finis, profectò fœliciſſimum fuerit cum ipſo verſari, beatiſſimumque illum amare & contemplari. Quamobrem totius humanæ vitæ præcipua pars, ea eſt, quæ in Dei Optimi Maximi ſancto, pio, veroque religionis cultu conſiſtit.*

2 *NIL nanque præclarius hominibus poteſt accidere, quàm fini vltimo coniungi, nihil melius quàm vniri ſuo primo principio, nihilque magis decet, aut magis eſt debitum, quàm Dei hanc ſupremam perfectionem & bonitatem ſemper laudare, colere, & venerari: cùm et in ſe & propter ſe dignus ſit, cui ſeruire ſemper iure teneamur.*

3 *IAM vero Dei cultus, nullus excellentior quàm Chriſtianæ religionis, qui per fidem potiſſimùm, ſpem, & charitatem exhibetur. Gentilium namque ritus, aut Iudæorum ceremoniæ, aut naturalis ratio, Deo id quod debebatur, ſatis non tribuebant: Sed ſola vera religio Chriſtiana, id nobis per IESVM CHRISTVM attulit.*

4 *AT enim Chriſtianæ religionis externus cultus interno cedit, & internus maximus is eſt, qui Deum intellectu per fidem agnoſcit, & voluntate per charitatem amat, & ita in eo credito & amato ſperat.*

5 *VERSANTVR quidem circa Deum in eius cultu, non ſolum hæ tres, ſed complures aliæ virtutes: videlicet, timor Dei, deſiderium Dei obedientia Dei, gratitudo erga Deum, complacētia in Deo, pax et gaudium, congratulatio, adoratio, admiratio, veneratio Dei, et totius denique religionis cultus, laudis, gratiarum actionis cum obſeruatione, oratione, ac reliquis. At hæ tres omnium ſunt primæ, & potiſſimæ virtutes, & cæterarum omnium principium & cauſa, & in quibus (vt vno verbo dicam) vniuerſæ Chriſtianæ vitæ, quēadmodum ait Auguſtinus in Enchiridio, ſumma conſiſtit.*

6 *NON ſolùm autem ex his, variæ erga Deum virtutes emanant, ſed etiam cunctæ quæ circa nos, temperantia videlicet. fortitudo, iuſtitia, cum reliquis quæ ſub iſtis tāquam ſub ſupremis generibus cōtinētur.*

7 *SVNT enim, vt diximus, aliarum omnium virtutum fines & cauſæ, & per has non ſolùm ad vltimum finem cæteræ, ſed ad ſuos quæque ſingulæ proximosque fines diriguntur.*

8 *DICTAE autem ſunt Theologicæ virtutes, vel quia circa Deum*

verſantur, vel quia à Theologis inuentæ, cum ipſis fuerint Philoſophis occultæ, vel quia per diuinam reuelationem nobis innotuerunt, vel quia ab ipſo Deo nobis infuſæ, vel tandem quia ſunt virtutes noſtræ rationis erga Deum, vt ipſa Græci vocabuli Ethymologia præ ſe fert, aut ideo dictæ Theologicæ, quaſi diuinæ.

De Fide omnium prima.

CVM verò Deum colere ſit impoſſibile, niſi prius illum agnoſca- 9
mus, neceſſe fuit, primam omnium virtutum eſſe fidem, ſine qua nulla perfecta virtus eſſe poteſt, nullumque vitæ opus Deo gratum; ſine fide ſiquidem impoſſibile eſt placere Deo, & iuſtus ex fide viuit, & omnes perfectæ virtutum operationes in fide fiant neceſſe eſt, aut perfectæ virtutes non ſunt: cum & fine careant, & principio rectè operandi, & in medijs quoque ſæpè illas aberrare neceſſe ſit.

EST autem fides duplex, altera quidem intellectus, qua dicentis 10
authoritate moti credimus, altera voluntatis virtus, non qua credimus, ſed qua credere volumus. Nam voluntatis eſt velle habere fidem, itemque dare fidem, & datam fidem ſeruare.

VELLE namque habere, quando, et vt decet opus, cuiuſdam eſt vir- 11
tutis mediæ, inter credulitatem & incredulitatem, quæ duo vitia nimium propenſam voluntatem efficiunt ad credendum, vel nimis à credendo alienam. Dare fidem, eſt veritatis, verè aliquid promittentis, hoc enim eſt dare fidem quod promittere, & veram fidem, ſi verè promittit. Tertium eſt virtutis fidei ſeu fidelitatis, qua ſerui fideles, & amici fideles dicũtur: quia hi ſeruare datam fidẽ amicis dominiſque tenẽtur.

HAEC ergo fides ſeu fidelitas ſeruat fidẽ, veritas dat, media inter 12
credulitatẽ et incredulitatem virtus, habet: Hæc itaque, tres voluntatis ſunt virtutes, et fides quãdoque dicũtur. Opus ergo eſt hæc noſſe, et diligẽtius animaduertere, cùm in his quãplurimi hallucinẽtur, quod voluntatis eſt, tribuendo intellectui, et id quod intellectus, tribuendo voluntati.

SED neque fiducia, fidentia, ſeu confidentia, fides eſt, verùm ſpes, 13
aut potius cum ſpe coniuncta quædam virtus, aut ſi mauis voluntatis affectus, quo fidimus alicui, aut in eo confidimus. Spes ſiquidem eſt boni futuri et futuri quidẽ, vel cõſequendi noſtris, vel aliorũ viribus. Si proprijs ergo viribus putemus conſequi, fiducia erit in nobis ipſis: Si alterius viribus, in illo altero eſt fiducia poſita, cuius viribus nos cõſecuturos arbitramur. Eſt ergo fiducia affectus circa illũ, cuius potẽtia et viri-

bus bonū futurū nos ſperamus adipiſci, quia ſcilicet poterit dare et volet.

14 *QVARE* erga Deum non eſt idem fides & fiducia, vt ſtultiſsimè hac in re, nonnulli aſſerunt, etiam cum ipſorum fidei detrimento, his duobus pro iiſdem frequenter vtentibus. Eſt enim hoc familiare Lutheranis aſſerentibus fidem ſeu fiduciam iuſtificare, hæc enim voluntatis eſt, illa intellectus. Quòd ſi vtraque iuſtificat, non ergo ſola virtus intellectus.

15 *SED* ſi rectè conſideremus, antecedit fides, ſequitur poſtea ſpes et fiducia, ex qua coniunctione, errandi occaſio nata eſt, immo vero ſi vera eſt fiducia, antecedat quoque Charitas oportet, qua in Deo tanquam in amico confidimus.

16 *INTER* ſpem verò & fiduciam hoc interſit, quòd ſpes propriè ſpectet ipſum bonum futurum, fiducia autem ipſum authorem boni, perſonam ſcilicet quæ dabit futurum bonum ſperatum. Ita cùm habere in Deo ſpem dicimus, vtrumque concludimus, & ſpem futuri boni, & fiduciam in ipſo.

17 *IAM* verò fides, ea quæ eſt intellectus ſi in genere definienda ſit, nihil eſt aliud quàm is aſſenſus, qui alterius ſolius dicentis authoritate innititur etiam nulla eius rei quam aſſerit allata ratione. Nanque ſi ratio afferatur aliqua, ſi ea eſt neceſſaria, & omnino perſpicua, tunc in intellectu audientis ſcientia gignitur: ſi ſolum probabilis eſt ratio, tunc generatur opinio: at ſi nulla adferatur ratio, dicenti tamen credatur ob ſolam eius authoritatem, fides eſt; aſſenſus videlicet mentis, ſolius dicentis authoritate innixus. Non ergo idem eſt cum opinione aut ſcientia, ſed longè diuerſa.

18 *HINC* ergo perſpicuè agnoſcimus, quo pacto omnis intellectus fides ex voluntate naſcatur: ex voluntate inquam, imperante intellectui vt credat, mota ob dignitatem & authoritatem dicentis. Poteſt nãque voluntas omnes partes animæ mouere, in his præſertim in quibus ratio contraria non eſt: immò vero ab huius rationis conſideratione, poteſt auertere intellectum, etiam ſi videatur demonſtratio.

19 *MAGNA* etenim voluntatis vis eſt, & magna in vtramuis partem, vt poſſit efficere & non efficere, quòd velit, quodque nolit: neque in ſe ipſa ſolùm, ſed in cæteris omnibus, quæ eius arbitrio & imperio ſubiecta ſunt. Tantaque eſt eius vis & poteſtas, vt neque angeli, neque Dæmones, neque verò aliqua vlla creatura, poſſit ipſam inuitam cogere, ſi nolit.

HAEC igitur voluntas poteſt huc illuc flectere intellectum, & poteſt vehementius impellere aliunde concitatum, & eadem quoque ratione, ab eo quo impulſus erat, retardare, immo vero tantam habet vim, vt prorſus obtenebrare aut excæcare poſſit. 20

VNDE fit vt opinionem quoque & ſcientiam, augere & remittere & labefactare voluntas quandoque poſſit, & in contrariam rationem, ac iudicium illum transferre. 21

ATQVE ſola voluntas, ut affectus ſine vlla ratiocinatione, ſine vllo alio medio, intellectui perſuadet, & illum pertrahit ad conſentiendum ſecum, ſolùm quia ipſa cupit. Quod ſi ita eſt, hoc iudicium intellectus, ex ſolo voluntatis affectu natũ, erit fides, non qua alteri, ſed qua propræ voluntati creditur (latè tamen ſumpto vocabulo) aut certè hic aſſenſus nomine carebit: eritque noua iudicij ſpecies ex ſolo affectu nata, neque ſcientia, neque opinio, neque ars, neque fides, neque intellectus, neque ſapientia, neque prudentia. 22

IN FIDE autem, qua alijs credimus, hoc pacto ſe res habet: primo authoritas dignitas ve dicentis agnoſcitur, agnita voluntatem mouet, nam hic reuera dignum eſt, huius verbis, qui tantæ ſit authoritatis, fides habeatur, id que iure debebitur. mota voluntas intellectui imperat, vt credat, atque hoc pacto in intellectu noſtro fides gignitur. 23

PER quam fidem res credimus ita eſſe, quia dictæ ſunt, dictis vero credimus, ob dicentis authoritatem, dicentis authoritati credimus, quia voluntas ad id nos perſuaſos reddit. 24

QVARE fidei obiectum poſtremũ quidem & diſtantiſſimum, res ſunt quas credit: proprius vero obiectum, credendi. ſ. ratio, alterius ſunt dicta: at proximum et immediatum, primumque principium fidei, dicentis authoritas. Id autem totum, per vnam, et eandem fidem credo, illi ſcilicet perſonæ, et eius verbis, & ita eſſe; credo, inquam, illi perſonæ aliqua dicenti; in quo totum huius fidei obiectum continetur. ſcilicet quod credo, & cui credo, & quam ob cauſam credo. 25

DE fide humana.

EST autem fides duplex, humana ſcilicet & diuina: nãque cum authoritatum diuerſa ſint genera, et ex ijs fides naſcatur, vt ex primo principio, diuerſas eſſe fides, ex ijs ortas, neceſſe eſt. humana ergo fides humanæ authoritati innitur, diuina diuinæ; humana ſolius voluntatis et intellectus viribus paratur, hæc viribus dei, voluntatem mouentis & intellectum illuminantis. 26

27 IAM humanæ fidei diuerſi ſunt gradus, pro ipſorum hominum authoritate, & authoritatis eorum diuerſitate. primo quidem ac magis credimus ſapientibus, boniſque, aut ijs quos tales putamus: arbitramur ſiquidem hos verum noſſe, quia ſapientes ſint, & nolle mentiri; quia ſint boni, maximè ſi exploratæ ſint virtutis ac veritatis: ob idque veracibus magna habetur fides, mendacibus nulla; vnicuique quoque in ſua arte perito credimus, item expertis, prudentibus, ſenibus. Demum ijs credimus, quos putamus verum ſcire & cum ſciant nolle mentiri. et hi ſoli apud nos authoritate valent ad faciendam fidem.

28 ET ID eſt authoritas, ſcilicet quod æſtimationem facit, eos & ſcire & velle verum dicere. ita vt ſi ſubtilius ſpeculemur, nihil aliud ſit authoritas, quàm ipſa dicentis veritas. quæ videlicet in intellectu eius, & in voluntate eſt, aut eſſe putatur. Quare humana fides dicentis veritati innititur, et eius erit primum obiectum illa veritas dicentis.

29 CVM autem hæc quæ dicta ſunt, ex rerum natura ſint deducta, & ex ijs rebus, quæ in ipſiſmet hominibus exiſtentes, credendi authoritatem dant: tamen accidit, vt voluntas, ob varios eius affectus amoris, odij cum reliquis, debita eos authoritate priuet, aut contra, maiorem tribuat, quàm ſint digni. Quare authoritas credendi, vel ex natura ipſa rei, ex ijs ſcilicet quæ in perſonis reperimus, naſcitur, aut ab ipſamet noſtra voluntate, vltro illis authoritatem conferente.

DE diuina fide.

30 SVNT autem nonnulli ita addicti philoſophiæ, vt nolint aliquid credere, niſi ratione probaueris: at vero aliqua eſt fides, & aliqua eſſe poteſt, & cogitur, velit nolit philoſophus multis rebus credere ſine ratione, aut profectò vitam cum hominibus nequeat traducere. Quod ſi nunquam velit credere niſi ratione allata, nimis ſit importunus & moroſus, & inter homines verſari nequeat, quique communem vitæ ſocietatem & conſuetudinem diſſoluat.

31 QVOD ſi obijciat: Hæc quæ nos credimus rationem ſuperare, alia non ſuperare; eſto, ita ſit, at ita eſſe debuit, in ijs quæ de Deo creduntur. ſiquidem Deus rationem ſuperat, et ſupra naturam eſt; non ergo debuit ob id falſa putare, quia rationem ſuperent, aut ipſe non intelligat, neceſſe eſt enim multa Deo conueniant, ad quæ ratio naturalis non poſſit peruenire, noſtro nanque paruulo intellectu, tanta res comprehendi non valet.

QVOD ſi humana ratione comprehendi Dei opera poſſent, et quis Deus, qualiſque eſſet, à nobis intelligi, certè is Deus non eſſet, ſeu aliquid Deo minus. Manet ergo in cauſa multa eſſe in Deo, quæ intelligi nequeunt, quæ credi poſſunt, neque ideo falſa eſſe, quia non intelliguntur: & hoc naturalem rationem oſtendere, ſe ipſam ſatis non eſſe ad Deum intelligendum. 32

SED tamen non ſine cauſa nos credimus, nam doctrinæ credimus Eccleſiæ Catholicæ, miraculis confirmatæ, et per reuelationem ſuſceptæ. poteſt ſiquidem, aliqua de Deo cognitio haberi per reuelationem, id quæ ratione naturali probari poteſt. 33

NAM ſi Deus potentiſſimus eſt & ſapientiſſimus, & præterea optimus et rationalis creaturæ præ cæteris amator, quid ni reuelet? aut ergo non vult, aut neſcit, aut non poteſt. Si non poteſt, non eſſet potentiſſimus: Si neſcit, non eſſet ſummè ſapiens: ſi ergo ſcit, & poteſt, facit cum volet. quid enim poterit obſiſtere? ſed quid? homo docere queat hominem, Deus nequeat? eſt abſurdum. 34

IAM verò ſi homines amat plus alijs, & eos gubernat, gubernantis eſt autem ad finem optimum dirigere, & per optima media, præſertim ſi gubernator optimus: profectò oportebat illum docere homines finem vltimum eorum, media ac ſe ipſum: immo verò ipſos exhortari, ac impellere ad hæc conſequenda, & peragenda. deſinat ergo iam mirari philoſophus, ſi et fidem eſſe aliquam diuinam, & neceſſariam eſſe illam dicimus. 35

SVPERAT autem multis modis ſcientiam, eam ſcilicet quæ de Deo, naturali ratione haberi poteſt. non ſolùm vtilitate ac neceßitate ſed dignitate ac perfectione, item certior eſt quàm ſcientia, et firmior ac conſtantior. 36

VT interim taceamus communiorem eſſe, et aptiorem ad hominum ſalutem, & ad praxim vitæ accommodatiorem: illa vero ſicca, & frigida, & arida, naturalis ſcientia, quæ fructus peperit acerbos, & immaturos, & inutiles ad manducandum, hæc enim illæ ſunt eſcæ quæ non profuerunt vt ait Diuus Paulus, ambulantibus in eis. Neque immerito philoſophia perpaucis, fides toti orbi perſuaſit. 37

QVAMOBREM fides merito lumen dicitur, eſt enim reuera diuinum lumen, primò quia per fidem multa videmus, quæ ratione naturali neſcimus: deinde quia credendo, poſtea intelligimus multa, quæ an- 38

tea neſciebāmus, ſecundum illud Eſaiæ, Niſi credideritis non intelligetis, ipſa etenim bonorum operum experientia, quæ eſt in fide, poſtea oſtendit vera eſſe multa, quæ antea ignorabantur, maximè ea virtutum præcepta, quæ à fide proponuntur, quæ antea vix quidē credi poterant, at poſtea operando ſcit, & reperit eſſe vera quæ non putabat.

39 RVRSVS lumen eſt, quia non ſolùm in practicis, ſed etiam in ijs quæ ad naturam ſpectant, plura pateſecit fides, vt de mundi creatione, futura beatitudine, de inferno, de animæ immortalitate, de angelis & intelligentijs & in his etiam corrigens naturalem philoſophiam; & hæc poſtea rationibus, non quibuſcunque aut vulgaribus ſed inuictiſſimis probans: quæ tamē alioqui, non admonitus homo per fidem, neque animaduerteret, neque intelligeret.

40 ET quanquàm nihil aliud eſſet, quàm, vt videat quæ credenda ſunt, quæ non, ſicut alij ſcientiæ habitus, ad ſuis aſſentiendum mouent, hoc in igni eſſet momenti, vera ſcilicet credere.

41 ITEM intellectus noſter Dei fidei obediens, ſe bene affectum reddit, vt à Deo illuminetur: ſuperbus autem, qui propria ratione innititur, proprioque iudicio abundat, & ſenſu carnis ſuæ inflatus ambulat, ineptus eſt ad Dei influxum ſuſcipiendum.

42 AMPLIVS his principijs fidei poſitis, plura de Deo neceſſaria demonſtratione colligimus, et meliori ordine, et pluribus concluſionibus & ſcitu dignioribus, & perfectius etiam ſingula demonſtrando, quàm vlla alia de Deo diſciplina.

43 ET præterea quæ philoſophus infirmiſſimis rationibus ex ſuis principijs oſtendit, hæc eadem nos potentiſſimis, et inuincibilibus ex noſtris conuincimus, & quæ ipſe demonſtrare cuperet, neque tamen poteſt, nos ex noſtris tamen demonſtramus: ita vt merito gloriari poſſimus, noſtram ſcientiam de Deo meliorem eſſe, abſolutiorem, excellentiorem, & perfectiorem, quàm vlla alia philoſophica.

44 IAM verò ſi dono intellectus, ac ſcientiæ infuſo, ſit fides illuſtrata, non dubium quin ſit admirabile mentis lumen, vſque ad Dei viſionem pertingens, & interiora velaminis: ſed tamen in ſpeculo & ænigmate, poſtea viſura facie ad faciem. Eſt ergo diuinæ fidei lumen ſplendidiſſimum & naturæ lumine, ſine vlla dubitatione, præſtantius.

45 QVAMQVAM autem ex dictis veram eſſe Chriſtianorum religionem, et hanc illam eſſe diuinam fidem, ſatis poſſit intelligi, id tamen

preſſius

preſſius erit demonſtrandum. Ac prima quidẽ, et potiſſima demonſtra-
tio, qua caret philoſophus, & per quam illum conuincemus, cùm de fi-
de oboriatur controuerſia: eſt, per ipſum canonem fidei edere miracu-
la, vt cæteri omnes ſancti, & Apoſtoli conſueuerunt.
SECVNDO ipſa Dei verbi efficacia, altera eſt non minor de- 46
monſtratio. Eſt enim, vt ait Diuus Paulus, verbum Dei penetrabilius
omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpi-
ritus, compagum quoque ac medullarũ, et diſcretor cogitationũ cordis.
SED etiam alio Demonſtrationis genere vtemur, ad fidei Chriſti- 47
anæ confirmationem, vitæ videlicet noſtræ ſanctitate, vt his qui ex ad-
uerſo eſt vereatur, nihil malum habens dicere de nobis, vt ait idem Pau-
lus ac admiretur non concurrentibus nobis, vt ait Diuus Petrus, in can-
dem luxuriæ confuſionem atque his tribus rebus olim firmata fuit, &
propagata fides, miraculis ſcilicet, efficacia verbi Dei, & ſanctitate
vitæ: iſtisque yſdem modo pugnabimus, aduerſus omnes philoſophos,
aduerſus omnem altitudinem ex tollentem ſe contra ſcientiam Dei, et in
captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti.
SED præterea quamuis ſinguli fidei articuli ſeorſiim probari non 48
poſſent naturali ratione, cùm eorum quidam rationem ſuperent, at in
genere probari poteſt, hanc eſſe veram fidem, et hæc credenda eſſe, quæ
credimus, non alia: id autem paucis poſitis, quæ quiuis ſanæ mentis con
cedit. Poſito, inquam, primò, licere ex effectis cauſam coniectare, ſi-
cut in corporeis rebus, ita in ſpiritualibus, Cur enim philoſopho in rebus
naturalibus liceat, mihi non liceat in diuinis? Altero poſito, fuiſſe ho-
minem quendam, IESVM CHRISTVM nomine, qui hoc pacto
vixerit, hiſtorica ſcilicet narratione, vitæ IESV CHRISTI: Cuius
diſcipuli viles quidam & abiecti homines, poſtea per vniuerſum mun-
dum fermè, fidem diſſeminauerint. Atque hæc profectò, ex hiſtoria
vel Ethnicorum credere debent, etiam Iudæorum ipſorum inimicorum
conſenſu: ſed experientia id conuincit, cùm ita videant diſſeminatam.
IAM ergo his poſitis Demonſtrari poteſt ex effectis cauſam con- 49
iectando, idque multis modis. ex operibus et vita Ieſu Chriſti. ex doc
trina eius morum præſtantiſſima, ex miraculis ab eo æditis, quæ artis
magicæ non fuiſſe, probari poteſt ex propagatione iſtius fidei, ex mar-
tyrum teſtimonio, ſanctorum Confeſſorum, monachorum vita et doctri
na, in ſuo quoque ordine admirandorum, ex Eccleſiæ perſecutionibus.

Item experientia multiplici, quam in nobis met ipſis ſentimus ſpiritualium rerum in hac fide nobis collatarum. Ergo ſi licet ex effectis cauſam coniicere ex iis certiſsimè conuincimus eſſe hanc noſtram veram & diuinam fidem.

50 *CVM hæc autem quæ diximus in genere ſatis oſtendat fidei Chriſtianæ veritatem tamen de ſingulis diſputando ratione naturali, ſi non demonſtrari, at defendi omnia poſſunt. Et eadem ratione oſtendi, quæ contra fidem adducantur rationes, eſſe falſigraphas, & fallaces, & ſolui cunctas poſſe. Item eadem ratione naturali oſtendimus non eſſe impoſsibilia quæ credimus, ſed poſsibilia.*

51 *POSTREMO multa eſſe, quæ melius certiusque quàm vlla philoſophorum dogmata probentur, vt practica omnia, quæ ad mores ſpectant, contendimus, & perfectiora eſſe, excellentiora, & altiora, & melius concluſa, ac certioribus rationibus, quàm quæ à philoſophis traduntur. Itemque plura de Deo vt quòd bonus, ſapiens, iuſtus &c: quanquàm etiam non deſint, bene probabiles rationes, quibus probetur quoque Deus trinus & vnus, et quæ cum multis Ariſtotelicis conferri valeant.*

52 *NON ergo temeraria hæc eſt noſtra fides, aut leuibus de cauſis moti credimus. At vero hæc omnia quæ dicta ſunt non ſunt ſatis ad fidem de qua loquimur infuſam & diuinam, niſi Deus interius moueret ad credendum. Quare noſtræ fidei præcipuum fundamentum & cauſa prima Deus ipſe eſt, interius in cordibus hominum reuelans quæ credimus: Atque hinc naſcitur tota eius firmitas & certitudo: per hanc ſiquidem fidem credimus non cuicunque, ſed Deo reuelanti aliqua de ſe ipſo: idque quia verax eſt, & bonus eſt, neque fallit, neque fallitur, quia inquam, veritas prima.*

53 *QVARE præcipuum fundamentum, & obiectum fidei, eſt ipſa prima veritas quæ loquitur, deinde eius vox ſeu reuelatio, poſtremum res quas credimus. Credimus nanque res has, quia reuelatæ ſunt aut dictæ: reuelationem factam veram putamus, quia primæ veritatis vox ſeu reuelatio eſt: eſſe autem reuelationem primæ veritatis, ſcitur à quibusdam, à quibusdam neſcitur.*

54 *SCITVR quidem, ab iis qui ſcientiæ donum habent, aut intellectus, qui cum Diuo Petro poſſunt dicere, habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in*

cali-

caliginoſo loco, donec lucifer oriatur in cordibus veſtris. Oritur ergo lu-
cifer poſtea in cordibus: tamen omnes fidiles tacita ſpiritus ſancti atte-
ſtatione conſentiunt interius, & quaſi occultæ cuidam reuelationi, &
ideo non hæſitant. Plenum itaque & integrum diuinæ fidei obiectum,
his tribus cõtinetur quæ tamen vnum efficiunt, credit inquam fides Deo
reuelanti aliqua, in quo totum eius obiectum clauditur.

SICVT autem ſatis non erant cætera ſine reuelatione, ad diuinam 55
fidem efficiendam ita neque reuelatio aut interna motio ſatis, ſine noſtræ
voluntatis conſenſu, ad eandem ſuſcipiendam. Quamobrem hæc omnia
requiruntur ad ſuſceptionem fidei, externa ſcilicet, quæ inducant ad cre
dendum, & proprius affectus voluntatis, & interna diuina reuelatio
ſeu motio, quæ voluntati interius perſuadeat ad credendum.

IMMO hic ipſe intellectus à Deo adiuuetur & eleuetur opus eſt; 56
ſiquidem ea crediturus eſt, quæ ipſum intellectum ſuperant, atque ita fit
fides diuina, cùm primo ſuſcipitur, ita etiam poſtquam ſuſcepta eſt fidei
actus gignũtur, cùm aliquid poſtea de nouo expreſſè creditur. Sed aliter
eſt de ĩfantibus qui nihil expreſſè credũt, ĩ quibus à ſolo Deo generatur.

EX IIS planè conficitur, per fidem falſum quid credi, nulla rati- 57
one poſſe, cum Deus ſit, qui ad credendum moueat: eius autem vox,
vel reuelatio, vel impulſus ad credendum, nunquàm ad errorem impel-
lit; abſit. Mouere etiam fidem arbitramur omnes homines, ſed tacitè
ad id credendum, cùm verum eſt, quamuis ipſi ob mentis hebetudinem
non ſentiant, ſimiliter cùm falſum eſt non mouere fidem, vt pote cùm
Deus per fidẽ nos moueat, nõ vero nos ipſi nos metipſos, per eãdẽ fidem.

IAM cùm falſum non credat fides, an tamen cum ſcientia, aut 58
opinione eiuſdem rei eſſe queat, dubitari poſſet; profectò ea quæ à nobis
creduntur ab alijs ſciri, aut opinari poſſe certum eſt: et quæ ab his cre-
duntur, ſciri à nobis non magis pugnat. Immò verò accidit, vt ab vno
& eodem nunc credantur, nunc ſciantur, nunc ſola opinione vera puten
tur eadem, varia ſui iudicij mutatione: vt poſt ſcientiam in eo ſequatur
fides eiuſdem rei, poſt fidem ſcientia, poſt vtrumque opinio.

QVARE hoc modo opinionem in ſe efficiunt, cum ſcientiam poſ- 59
ſcit. Nanque licet actu credere, & ſcire actu ſimul non poſſumus, ſi-
cut neque opinari, quoniam iſtarum trium actus ſimul pugnant (ſcien-
tia etenim clara eſt, fides certa ſed obſcura: opinio obſcura & incerta)
tamen habitus iſtarum non ita pugnant, quin ſimul eſſe poſſint: & ip-

ſarum actus vnum poſt alterum ſuccedere.

60 *ITEM vnius actus cum alterius habitu, vt actu ſcire Deum eſſe, & tamen eiuſdem rei ſimul habere diuinæ fidei habitum infuſum, ac ſimiliter actu credere & tamen ſcientiæ vel opinionis habere ſimul habitum. Ac quod magis mirere, hoc etiam verum eſt, habitus hos ſibi inuicem eſſe auxilio, & iudiciũ animi tunc fieri fortius, quum eiuſdem rei plures habitus, licet diuerſi ad actum mouent; vt cum ratio ſit probabilis & altera neceſſaria, ſi mens vtraſque conſideret, firmiorem ſcientiam effici quàm ſi alteram tantùm.*

61 *EODEM modo per diuinã fidem ſcientia quoque firmatur, certiorque fit, conſtantior, tranquillior, & potentior, quamuis non clarior, vt in his quæ de Deo per ſcientiam ſcimus, & ſimul per diuinam fidem credimus. Quòd ſi illuſtrata ſit fides, intellectus aut ſcientia donis, etiam fit clarior ſed quadam altera diuerſa claritate à ſcientia, ſcilicet ſuper cœleſti, ex Deo proximè deriuata.*

62 *SIMILI quoque pacto è contrà contingit, per ſcientiæ demonſtrationem, probabileſque rationes, non nihil firmitatis accreſcere fidei. tantumque ab eſt vt hoc fidem minuat, vel impediat, vt etiam augeat.*

QVIBVS credendum. et quæ. vbi de ſymbolo et articulis fidei.

63 *CVM igitur fides per Dei reuelationem fiat, vt oſtendimus, Deus autem non ſolum per ſe loquatur, ſed per alios quoque, videlicet per ipſius miniſtros, neceſſe eſt ijs quoque per fidem credamus.*

64 *LOQVITVR autem per angelos, per Eccleſiam, per ſanctos homines, diuino Dei ſpiritu afflatos, Apoſtolos, Doctores, Prophetas, cum cæteris, quibus ſuum impertit ſpiritum, neque vero minus per Pontifices noſtros, Eccleſiaſticaſque poteſtates ſuperiores. De his etenim dictum eſt, qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit, & vt quæcunque dixerint faciamus, ſecundum autem opera, ſi mali ſint, nolimus facere. Neceſſum ergo eſt omnibus ijs credamus, licet his plus alijs minus, ipſaque diuina fides ad id moueat.*

65 *PERINDE eſt autem, ſiue aliquid ſignificauerint, aut ſcriptum reliquerint quo etiam ſit, vt ſcriptis quoque ipſorum credat fides, et ad credendum noſtrum intellectum impellat: ad ea, inquam, ſcripta credenda quæ ſpiritu Dei Sancto conſcripta ſunt, quæ quidem, ab eo, qui eodem ſpiritu præditus eſt, dignoſci valent.*

66 *AT IN his omnibus Deo potius & ſpiritui ſancto credimus in ipſis*

ſis loquenti quàm hominibus, aut perſonis: Per ſe verò cum loquitur
ipſe Deus, abſque dubio maior ei habenda fides, et præponderat autho
ritas, vel ſolum ob eius præſentiam, ac eius excellentiam, dignitatem, et
reuerentiam. Cæterum & ipſimet Deo aliquando firmiori fide, ali-
quando debiliori credimus, quando videlicet reuelatio nobis facta, cla
rior eſt aut minus clara.

SED cùm iam innotuerit, quibus credendum, quas res credat fi- 67
des videndum erit. In fide igitur ſubiectum ſit de quo omnia, Deus, ſal
tem præcipuum & primum, de inde cætera quæ ad illum attinent, aut ſi
voles, latius pateat, ſit res ad ſalutem hominum ſpectans, hæc enim ſunt
quæ præcipuè reuelata ſunt, & ob noſtram ſalutem ac fœlicitatem reue-
lata omnia. aut ſi amplius velis extendere eius ſubiectum, ſit res quæ-
cumque reuelata, ſiue ad Deum, ſiue ad nos, ſiue ad alios ſpectans, ſiue
Deus, inquam ſit, ſiue creatura. nam vt ſcientia omnium eſſe poteſt, et
opinio quoque omnium, ita & omnium fides.

IAM verò prima fidei principia, prima ſunt quæ creduntur de 68
Deo, articuli videlicet fidei: deinde poſt principia concluſiones fidei,
quæ per ratiocinationem ex ijs neceſſario concluduntur, atque ita poſtre
mo tandem demonſtrationes, ſi quæ ſunt ex ijs principijs deductæ, ſed de
fidei principijs, ſeu articulis fidei primùm.

CVM homines fidem ſuſcipere deberent, vt Deum agnoſcerent, et 69
viuendi rectam viam, & quæ eſſent credenda neſcirent neceſſe prorſus
erat aliqua breui formula ea illis proponerentur, in qua tùm potiſſima fi-
dei, tum quæ ad ſalutem neceſſaria continerentur: hanc ſymbolum fidei
græco vocabulo, Eccleſia nuncupauit; in qua articuli fidei quaſi quæ-
dam fidei particulæ, inuicem connexæ, vt in humano corpore contingit,
concluduntur, ideo enim dicti articuli.

EORVM autem numerus aliquis eſſe debebat abſque dubio; vel 70
vnus, vel duo, vel tres articuli, vel certè alius aliquis (niſi forſitan
credendum numerum etiam non carere myſterio) Sed quæ propoſita sūt
ad credendum, quidam in duodecim alij in quatuordecim ſecant. et tam
hi quàm illi inter ſe ſe ſunt diuerſi varia ratione ſupputantes diuerſoque
modò articulos diſtinguentes. vt quos hi diſtinguant, alij coniungant,
& contra quos hi coniungant, alij diſtinguant.

ITA vt ſi quis ſingula vellet inuicem ſeiungere, plures eſſent 71
quàm quatuordecim articuli: & ſi quis vellet plura ſimul coniungere,

pauciores eſſent quàm duodecim.

72 *QVOD ſi optes aliquem numerum, & diſtinctionem eorum conſtituere, articulus vnus erit, vt rectè ait Diuus Thomas, vbi noua credendi difficultas, et ſi diuerſa diuerſus. Quæ tamen nouam habent difficultatem aut non, tuo & aliorum iudicio relinquetur: Cùm hoc tibi videatur, & alteri aliud. Sed parum intereſt, hic aut ille ſit numerus, dùm eadem credantur.*

73 *AT VERO omiſſo numero certiſſima eſt, perpulchraq́ue diſtinctio eorum quæ credimus, quæq́ue ſunt nobis ab Apoſtolis in ſymbolo propoſita: fidei nanq́ue prima principia mira breuitate, & pulcherrimo ordine comprahenſa ſunt, dei ſcilicet eſſentia cum trinitate perſonarum, & præterea ſingulis perſonis addita, quæ eis maximè conueniunt.*

74 *QVE patri, vſque ad illum locum, et in IESVM CRISTVM filium eius: quæ filio ſecundæ perſonæ: vſque ad illum, credo in ſpiritum ſanctũ. à quo loco vſque ad finẽ ſymboli ſpiritui ſancto attribuũtur oĩa.*

75 *HANC que veriſſimam puto eſſe, fidei articulorum diuiſionem & hanc apoſtolorum fuiſſe mentem, vt ſingulis perſonis, ſingula tribuantur propria, quæ eis maximè conueniunt neq́ue aliam eſſe diuiſionem quæ cum hac conferri poſſit, arbitror. licet aliæ eſſe poſſint multæ probabiles.*

76 *POTVERVNT autem Apoſtoli alia addere, ſi vellent abſque dubio, & ſub eiſdem capitibus concluſa, vel ſub diuerſis, aut hæc eadem explicatius referre, vt poſtea Eccleſia neceſſitate coacta, ob quorumdam hæreticorum prauitatem effecit.*

77 *CAETERVM hæc, ſi attentius conſiderentur, ſunt potiſſima et maxima, eorum quæ de Deo dici poterant, & ad vitam noſtram rectè inſtituendam accommoda, ſcitu maximè digna, & ad beatitudinem conſequendam maximè vtilia & neceſſaria, cum ex illis, ſi rectè diſcutiantur, tota vitæ noſtræ ratio & inſtitutio pendeat.*

QVID Iudæi, Gẽtiles, Chriſtiani crediderũt aut credere debuerĩt.

78 *EX IVDAEIS quidẽ hos fidei articulos multi expreſſè crediderunt, videlicet patriarchæ, prophetæ, & ſancti patres, ab ſpiritu ſancto illuminati, à Deo & angelis edocti, idq́ue ita eſſe eorum ſcripta in ſacris literis contenta, teſtantur.*

79 *SED tamen ad id omnes non tenebantur, ſed ſatis erat, iudæorum populo, in hærere fidei & veſtigijs maiorum, illa obſeruando, quæ ſibi*

trad

tradebantur, reliqua implicitè credendo.

COGEBANTVR quidem omnes aliqua expreßè credere ſed ex 80
prophetis et antiquis patribus vt non auderẽ dicere teneri ad expræſſam
fidem omniũ articulorũ ita nec pro certo auderẽ negare, eos non nouiſſe.

IAM vero chriſtianos teneri omnes arbitror, ad plurium quàm 81
iudæos expreſſam fidem. horum ſcilicet omnium articulorum ſymboli.
Neq́ue vero ſine cauſa ab Apoſtolis hi ſunt omnibus propoſiti et neq́ue
ſine cauſa ab Eccleſia quotidiè publicè in templo, alta voce referuntur.

LICET autem ruſtici recitare hos articulos neſciant, ſatis arbitror 82
ſi interrogati reſpondeant: aut ſi eis proponantur, & quidem clarè &
ſine ambagibus, conſentiant. Cùm ergo hæc expreßè, quæ diximus
credere debeant, at implicitè omnia, quæ ſcilicet mater credit Eccleſia.

DE GENTIBVS vero quid olim credere tenerentur, vt ſalui fie- 83
rent & quid modò; difficultas eſt. Gentiles dico, qui neq́ue Iudæorum
legẽ, neq́ue Criſtianorum fidem norunt, ſed lege ſolum naturæ ducuntur.
Ac ſanè non arbitramur ad plura credendum teneri modò, ad quos nul-
la Euangelij ſuſpicio peruenit (ſi qui ſunt apud AEtiopas, Indos, Scy-
thas, aut alias barbaras nationes) quàm eos qui ante legem gratiæ vi-
xere: ſed in eodem hos eſſe ſtatu, ac illi erant ante aduentum IESV
CHRISTI. aut ante ſufficientem fidei promulgationem: ſicutiq́ue
tunc illi ſaluabantur, ita et hi modo. Quo autem pacto tunc ſaluarentur,
alia quæſtio eſt. Nos dicimus eodem pacto ſaluari.

QVOD ſi audiere ataui, aut tritaui, aut olim multis retrò annis 84
maiores: hi modò nihilomagis ſciunt, quàm ſi nõ audiſſent, ſed perinde ſe
ſe habent, ac ſi nulla vnquam facta fuiſſet prædicatio. ac reuera iſtis
facta non eſt Euangelij promulgatio, licet alijs ſit facta: quare non te-
nentur ſicut illi non tenebantur olim, quibus facta non erat, ante fidei
ſufficientem promulgationem.

IMMO hoc credimus, Chriſtum noſtrum per paßionem, omnibus 85
hominibis attuliſſe multa, etiam his qui illum ignorant. videlicet vt
inimicum habeant diabolum infirmiorem, & beatorum angelorum au-
xilia maiora & alia plura. Credere tamen aliqua omnes homines, tam
hos quàm illos neceſſe eſt vt ſalui fiant, ſed quæ & quot, quæſtio eſt.
Certè ea credere debet, per quæ Deum colere, et rectè ipſi viuere poßint.

QVAE tamen ad hoc ſufficiant, videndum. puto ſufficere ſi cre- 86
diderint duo, ſaltem in initio, ad eorum conuerſionem primam, quia eſt

Deus

Deus et quia remunerator eſt. At vero cum hæc duo neceſſaria ſint, vt primo accedant ad Deum, poſtquàm vero acceſſerint, plura Deum communicaturum veriſsimile eſt. Quæ autem ea ſint, quæ Deus dabit, & quæ non, noſtrum non ſit præſcribere, certè quæ vnicuique neceſſaria, & vtilia ſint, ad Dei gloriam, & ipſarum animarum ſalutem.

87 QVAMVIS ergo explicatius quidam alij fidei articulos crediderunt, non ideo tamen diuerſa fides, horum aut illorum. Sed gentilium, Iudæorum, Chriſtianorum eadem fides eorum qui ſalui facti ſunt & eſt, & fuit, & erit ſemper eadem licet varia etiam, apud diuerſas nationes reuelata forent, ſecundum illud Pauli ad Epheſ. quarto, vnus dominus vna fides, vnum baptiſma, & quotieſcunque, aut vbicunque homines ſalui facti ſunt, per hanc vnam et eandem fidem, ſaluos factos eſſe oportet.

DE prudentia fidei, fideique actibus & affectis.

88 FIDES autem non ſolum ſpeculatiua virtus eſt, ſed practica, neque ſolùm in genere continet ea quæ agenda ſunt, ſed etiam particulatim ad ſingulas noſtras actiones deſcendit, et appetitum, vnà cum charitate gubernat, quaſi quædam practica prudentia, & recta operandi ratio. Et ideo de Abrahamo in Epiſtola Iacobi dicitur, quia fides cooperabatur operibus illius, et Diuus Paulus quoque ait, fidē per dilectionē operari.

89 PRAETEREA aſſerimus in ſingulis actibus, et ijs quæ actus circunſtant per fidem ſæpe credi quid ſit agendum, non ſciri per humanam prudentiam, & ita fideles ſæpe operari: hoſque omnes eſſe fidei actus, ab illo infuſo habitu fidei deriuatos.

90 PRVDENTIA ſiquidem vera, ex vera fide naſcitur: nàm duplex prudentia eſt, vna quæ originem ſolùm habet, ex his quæ naturæ lumine ſolùm ſine fide cognoſcuntur, ex principijs ſolùm naturæ notis: altera ex principijs diuinis ſupra naturam notis, ijs ſcilicet quæ per veram fidem innotuerunt, agenda colligens. Quare hæc longè præſtantior, & alteram naturalem longè ſuperans, illamque ſæpe corrigens.

91 AT VERO an hæc prudētia ſit idem cum illo habitu fidei infuſo, an actus quidam ab illo natus; aut virtus alia diuerſa, ab ipſa fide quæ primo infunditur, dubitari poſſet. Equidem ſic arbitror, fidem infuſam ſapientiam eſſe ſummam, ſummam inquam, quæ in hac vita eſſe valet nanque altiſsima eſt cognitio, quam habere de Deo, vel noſtris rebus poſſimus. Quare vt ſapientia ſumma cuncta comprehendit (Eſt enim

diuinarum

diuinarum rerum, & quia diuinarum humanarum quoque per diuinaſ
cognitio) ita etiam fides: quo fit vt non ſolùm ſit ſpeculatiua virtus,
ſed etiam practica, vt ipſa ſapientia.

IDEM nanque fidei contingit credendo, quod alteri demonſtrando, 92
nanque non ratione ſed authoritate diuina, et reuelatione, cuncta etiam
quæ agenda ſunt, ex illis primis principijs perſcribit. Sed cum ſub ſa-
pientia illa ſumma, multæ ſint ſcientiæ inferiores, poſteà, pro diuerſitate
rerum quæ ſciuntur: ita cum hæc apicem teneat, ſub illa tamen acquiſitæ
fidei habitus ſint plures, pro diuerſitate ſcilicet rerum quæ creduntur.

HI TAMEN poſtea habitus, ſi prima fides perierit, peribunt 93
facilè, licet non ſtatim: mouent enim ad hæc credẽda, in virtute primæ
fidei, ob Dei ſcilicet authoritatem & reuelationem, ac eius primam
veritatem, vnde originem ſumpſere. ſicuti in humana fide, quæ omnia
credit ob hominis dicentis authoritatem.

IGITVR prudentia illa practica, diuinæ fidei erit actus, vel ha- 94
habitus quidam, ex actibus fidei infuſæ iteratis, natus: ita reliquarum
rerum quas credimus, varij erunt actus & habitus fidei, ab illa infuſa
procreati. quòd ſi ita eſt vtique erit actus fidei, prouidentia & delibera
tio quædam, conſultatio et iudicium practicum quoddam, cum cæteris
prudentiæ partibus, ſed tamen ſemper ex fide & in fide.

QVOD ſi in genere perſcribendi ſunt fidei actus, duplices ſunt, in 95
teriores et exteriores: interiores quidẽ, credere ea quæ ſunt credẽda, ſeu
potius credere, cui eſt credendũ: tamen nõ ſolum credere, verum etiam
diſſentire contrarijs, eis ſcilicet, quæ non ſunt credenda, repugnare.

EXTERIOR autem actus videtur fidei confeſſio, quanquàm vt 96
hæc ad ſalutem neceſſaria ſit (corde enim creditur ad iuſtitiam, vt ait
Diuus Paulus, oris autem confeſſio fit ad ſalutem) ita eſſe actum fidei,
ambigi poterit, nec ſolùm oris confeſſio, ſed etiam opere fidei teſtimoni
um reddere, vt in martyrio, actus eſt quidam fidei. verumtamen ſi at-
tentius rem diſcutiamus, cum hoc fiat voluntate, & quidem propter
Deum aut vtilitatem animarum, ad alteram quoque virutem ſpectat
voluntatis, ſcilicet ad fidelitatẽ, quam Deo debemus, et per quam eius
fidem cogimur, voce et opere profiteri, ità vt vtriuſque ſimul ſit actus.
Sed non ſolùm ſit confeſſio fidei, exterior actus, verumetiam fidem ali
quando tacere & occultare; eodem pacto, vt veritatem, aliquandò
occultare & tacere liceat, mentiri nunquàm.

EFFECTVS autem habet diuina fides admirabiles, vt ſanare in-
97 firmos, imperare dæmonibus, & mortuos tandem ſi opus fuerit ſuſci-
tare, & omnia deniq́ue prodigia, portenta, et miracula ædere, in cœlo
& in terra, quæ à ſeruis IESV CHRISTI præſtita eſſe certò ſcimus
& talem ipſe dominus noſter per fidem in Euangelio poteſtatē conceßit
ſi habuerimus, inquit, fidem ſicut granum ſinapis, diceris, &c.

98 HI TAMEN exteriores fidei effectus ſunt, at in eo ipſo qui cre
dit, alij ſunt complures interiores, non minus admirandi, nam illum
introducit ad timorem Dei, ſpem in Deo, vtq́ue peccata relinquat,
recteq́ue agat & Deo ſeruiat, ac etiam vſque ad amorem Dei, oſten-
dens illi Deum verum & bonum; quanquam ſine his quandoq́ue fidem
eſſe contingat, ſed tamen impellit.

99 RVRSVS cum charitate coniuncta, altiores adhuc effectus ſor-
titur, vt peccatorum remißionem, iuſtificationem impij & animarum
ſanctificationem, & tandem ipſarum meritum et vitam æternam, ſed
ex fide & Charitate naſci virtutes omnes, ſuperius diximus, tam quæ
erga Deum, quàm quæ erga nos, aboleriq́ue peccata & Deo reconcili
ari, neq́ue immerito Diuus Paulus, hanc fidem tantùm extollit, &
ſanctorum admiranda per fidem facta narrat, in epiſtola ad Hæbreos.

100 QVOD ſi horum ſingulorum effectuum, rationes reddendæ eſſent
immenſum foret. ac facile hæc ſacrarum literarum teſtimonijs confir-
mari poſſunt: ſit ſatis connumeraſſe. erūt itaq́ue vel exteriores effectus
vel interiores: et interiores, vel ſola fide, vel cum Charitate coniuncta.
Omnipotenti Deo à quo hæc cuncta procedunt, laus honor, poteſtas &
imperium, per infinita ſeculorum, ſecula amen.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE